



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 3. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

quia ipsa etiam dicit, esse ad alterum. Idem Subsumptum inductio virtutum reliquarum ostendit, quæ non attendunt ad actiones externas, ut commutationes venditiones &c. similia.

PROBATUR 3. Passiones sunt objectum virtutis. Ergo & actiones externæ erunt objectum virtutis. Sed non alius, quam iustitiæ. Ergo. Antecedens probatur: quia aliàs nulla esset fortitudo, nulla temperantia: non haberent enim materiam, cui conjungerent suum formale; nemoque beneficus Passionibus uteretur: quia hoc ipso illæ essent objectum materiale virtutis: sicut operationes intellectus, quia illis conjungitur formale Logicæ, sunt objectum materiale Logicæ. Consequentia iisdem rationibus probatur. Quia aliàs nulla esset virtus versans circa actiones externas: non enim essent materia, cui conjungeret suum formale aliqua virtus; nemoque bonam poneret actionem externam; aliàs hoc ipso essent illæ actiones objectum virtutis. Non potest autem dici neminem posse ponere actionem externam bonam, aliàs utraque contradictoria moralis falsa esset, ut urgebatur supra; reddensque alienum, non operaretur bene. Subsumptum principale probatur. Quia universali divisione, motus voluntatis dividuntur in motus ad alterum, & in motus in ordine ad se. Ergo cum motus in ordine ad se, sive illi sint irascibilis, sive concupiscibilis sint objectum materiale fortitudinis & temperantiæ; motus ad alterum seu actiones externæ, debent spectare ad iustitiam: quia nulla est jam alia reperibilis cardinalis virtus spectans ad voluntatem, præter iustitiam; & tamen ex probatis etiam illæ debent spectare ad aliquam virtutem.

Quoad secundam Partem. Quod scilicet, actiones externæ, sint objectum materiale iustitiæ, probatur, ex proportionem ad materiam, ob quam aliquod objectum dicitur materiale. Quod enim se habet sicut materia, id, est indifferens, ut fiat bene vel male; sicut materia est indifferens ad formas; & sicut sine forma non est constitutum ens in certa specie sibi debita; ita & materiale objectum iustitiæ, sine formali iustitiæ non est in specie sibi debita. Jam autem, ut dixi, sic se habet actio externa.

Quoad Tertiam Partem. Quod scilicet, actiones externæ sint objectum immediatum. Ratio est; quia nullum potest immediatius assignari objectum, vel enim hoc esset actus imperans ipsam actionem externam, & hoc non. Tum quia, objectum materiale iustitiæ debet in omni actione iustitiali reperiri, quomodo enim esset sine sua materia: sicut alia etiam requirentia materiam, sine sua materia esse non possunt. Et tamen ponitur sæpe actio externa, sine ullo actu imperato, per solum directum. Tum quia. Hic quaeritur de materiali objecto necessario, & indispensabiliter requisito; tales autem non sunt actus illi imperantes: nam impossibili omni

imperio, solis venditionibus, & emptionibus, commutationibus, restitutionibus &c. sufficienter veniretur in communionem vitæ, æqualitasque conjungi illis posset requisita ad iustitiam. Non etiam objectum materiale immediatius iustitiæ, sunt ipsæ res. Tum quia. In habitibus, qui non relinquunt post se opus, & ad motus attendunt, operationes ipsæ, sunt objectum immediatum, mediatum verò objecta operationum. Sic v.g. Prudentia immediatè attendit ad operationes secundum rectæ rationis dictamen hic & nunc ponibiles; mediatè autem non nisi ad objecta illarum operationum. Fortitudo immediatè attendit ad resistantiam adversis, mediatè autem ad ipsa adversa. Logica attendit ad operationes intellectus, mediatè ad res ipsas, & sic de reliquis. Dixi, de habitibus non relinquentibus post se opus. Nam sutoria immediatè fortassis circa calcem versatur, & non nisi per attributionem circa factiones suendi. Tum quia, non nisi mediantibus actionibus externis, versatur iustitia circa ipsas res: non nisi enim mediante necessario datione centum, venit per centum in communionem vitæ. Ergo apparet immediatius ipsas actiones, esse objectum ejusdem.

Tum quia. Illud est immediatum objectum, cui conjungi potest immediatè ratio formalis iustitiæ. Sed tales sunt actiones externæ: quia ante positionem ipsarum rerum, jam ipsa datio, pro illo priori saltem rationis, habet formale iustitiæ.

Cum hoc tamen stat, quod etiam res ipsæ sint objectum, saltem remotum, iustitiæ. Ratio. Quia actio externa habet connexionem cum ipsis rebus. Ergo non poterit attingi, quin etiam suo modo attingatur ipsa res; & sic non potest habere quisquam volitionem reddendi equi, nisi ipsummet attingendo equum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Volitio potius actionis externæ est objectum iustitiæ. Ergo, non actio externa. Anteced. probatur. Quia imprimis etiam volitio illa potest participare formale iustitiæ, haberi que ex motivo honestatis iustitialis. Ex altera parte per prius ponitur volitio actionis externæ, quàm actio externa. Accedit, quod talis sit antecessio, quæ antecedit volitio ipsam actionem externam; ut videatur sola formaliter posse primò per se participare honestatem iustitiæ. Quod probatur. Quia honestas primò per se iustitiæ, est honestas libera; sola autem volitio actionis externæ, est libera: quia sola est imperans; actus autem imperatus, non habet primò per se libertatem, est enim liber, ex suppositione imperii liberi. Ergo, nec primò per se honestatem.

RESPON-

RESPONDETUR Negando Antecedens. Probationes ex dictis solvuntur. Quia scilicet volitio illa, licet possit participare honestatem justitiam, & ex eo sit objectum justitiæ: quia tamen in illa non sititur, sed ordinatur ad actionem externam, ideo illa potius erit objectum justitiæ; præcipue, cum non tam attendatur justitiæ, quam ad id, ad quod sit applicatio. Volitio autem illa applicat ad actionem externam. Et sic ut v.g. in poenitentia, volitio imperans actum poenitendi, non primo per se intenditur, sed ipsa poenitentia; volitio ædificandi non primo per se intenditur, sed ædificatio; & sic de cæteris. Ita & in præfenti, primo per se intenditur actio externa. Et ceterè potest impossibile esse volitionem realem distinctam ab ipsa actione externa, quid deest justitiæ, ut non possit formare venditiones, commutationes &c. apparet ergo, non nisi reductivè hoc spectare ad justitiam. Actio etiam externa est per se libera, non hoc sensu. quasi non ex suppositione imperii sit libera, sed hoc sensu: quia per se non est ullo modo necessitata. Deinde non est necesse semper Rationem pro volitione acceptam, habere rationem actus imperati, consequenter poterit esse per se, immediate, sine ulla alia suppositione libera.

OBJICITUR 2. Res potius sunt objectum materiale: quia ipsa datio dicit ordinem, & nexum cum rebus, quæ dantur, in hisque ultimo consistit.

RESPONDETUR. Non sequitur pecuniâ v.g. æquè primo immediate esse objectum justitiæ. Ratio, quia in assignando objecto justitiæ, non tantum est attendendum an æquè primo utrumque respondeat, sed primario ad hoc attendendum est, an æquè primo & immediate participet, non dico æqualitatem, sed honestatem æqualitatis, virtus enim moralis, non ad æqualitatem præcisè physicam, sed ad æqualitatem moralem, adeoque involventem in se honestatem attendit. Honestatem autem res ipsæ non participant. Cæterum ad res magis attendit justitia quam Logica, quia eadem invariata manerent operationes Logica, si pro rebus, A. & B. substitueretur: non manerent autem eadem donationes, emptiones, restitutiones, si pro pecunia A. & B. restitueretur.

INSTABIS 1. Æqualitas afficit immediate res ipsas, non autem operationes externas. Quia ad centum debiti, nihil est æquale nisi centum, imò tota ratio justificandi datum & acceptum, est æqualitas rerum.

RESPONDETUR. Imprimis insistendo datæ solutioni; quod scilicet quidquid sit, an æqualitas Physica afficiat immediate res ipsas, falsum tamen est, quod æqualitas moralis seu honestas æqualitatis, immediate afficiat res ipsas.

Deinde ex alio principio solvitur idem argumentum. Negando antecedens; ad centum

autem debiti non est æquale centum utrumque, hinc si debitum sit centum, creditorque habeat centum, est tunc æqualitas Physica debiti & crediti, sed non æqualitas moralis: quia ad centum debiti non est æqualitas nisi centum solutionis, si autem est illic solutio, est actio externa, quæ ipsa est prior ipso centum dato, solaque participat honestatem, hinc sola, immediatum erit objectum.

INSTABIS 2. Illud est objectum justitiæ materiale immediatum, quod per se immediate participat æqualitatem justitiam: illud autem per se immediate participat æqualitatem justitiam, quod per se immediate participat æqualitatem, quam appetit creditor: nam æqualitas debitoris relativa est ad æqualitatem creditoris, æqualitas autem, quam appetit creditor, est æqualitas rerum, nempe ut si creditis centum, respondeatur per centum.

RESPONDETUR ex dictis, quod, illud per se participet æqualitatem justitiam, quod per se immediate participat æqualitatem, quam tanquam includentem rationem honestatis appetit creditor. Conc. Non inclusa hac honestate. Nego. Ratio, quia hic agitur de æqualitate includente rationem virtutis, quæ non habetur in ipsis rebus. Hinc, si aliquis prævidens, quod sibi aliquid non esset restituendum compensaret sibi: tunc debitor non teneretur jam ad æqualitatem Physicam, non poneret tamen moralem: unde etiam illi creditor objicere posset; non reddidisti mihi &c. similia.

Aliter eidem difficultati ex dictis satisficit. Quod scilicet creditor exigit æqualitatem rerum, non quomodocunque, sed redditarum, ubi involvitur redditio, quæ prior erit reddito, adeoque per prius participans rationem Formalem justitiæ. Per hoc etiam non negatur posse concedi, quod in prædicato æqualitatis attendatur ad prædicatum æqualitatis rerum, tanquam aliquid notius.

INSTABIS 3. Ergo saltem res, non erunt quidem objectum immediatum, saltem tamen erunt ultimum. Adeum modum, quo potentia immediate specificantur extrinsece ab actibus, ultimo ab objectis, à quibus vel ipsi actus specificantur.

RESPONDETUR. Si nomine ultimati objecti accipitur quodcunque tandem spectans ad aliquam virtutem, in quo definit motus illius, sic erunt ultimum objectum res. Si autem nomine ultimati objecti accipias, quod ultimo in se participiat honestatem, ita, ut antecedentes participationes honestatis ultimo in illa conquiescant, sic non sunt objectum ultimum res, quia illæ in se honestatem æqualitatis participatam non habent.

OBJICITUR 3. Justitia potius intendit æqualitatem inter personas: unde etiam iudex, qui est justitia animata, vult personas æquare. Er-

go, personæ potius & non operationes externæ, erunt objectum materiale iustitiæ.

RESPONDETUR. Quod iustitia potius intendat æqualitatem inter personas tanquam finem. Cui debetur æqualitas, non autem intendit æqualitatem inter personas tanquam finem Qui: & tamen non nisi objectum, coincidit cum fine Qui. Hinc etiam Religio: quia habet Deum pro fine Cui, & actiones cultivas Dei pro fine Qui, fit, ut illæ sint objectum Religionis, non verò Deus.

Paulò alter communiùs respondetur: quòd scil. iustitia intendat æqualitatem inter personas non inducendo illam immediatè in ipsas personas, sed in actiones non nisi illarum: ad eum modum, quo immediatè rectitudo Logica inducitur in operationes, non in ipsum intellectum.

DIFFICULTAS II.

De Objecto Formali Iustitiæ.

TRACTATIO de Objecto formali iustitiæ, sub ratione formalis certior est, uàm in aliis materiis; præcipuè habituum intellectualium. Triplex enim Ratio formalis in aliis materiis distinguitur. Ratio sub Qua formalis, hæc ordinariè dicitur esse abstractio, quæ locum in præsentia non habet: quia abstractio, sicut ipsa est de linea intellectuali, ita etià convenit non nisi intellectualibus habitibus, iustitia autem virtus moralis est; licet etiam in virtutibus moralibus reperiri suo modo possit v.g. in præsentia æquabilitas, æqualitatis ipsam honestatem, pro formali statuendo. Non habet etiam hic locum Ratio formalis, Quæ, prout condistincta à ratione formali Propter Quam: quia in habitibus virtutum, motivum proprium desumibile est, non nisi ex ratione inclusa in ipsomet formali; & ita in Fide, ratio motiva, est veritas prima, quæ etiam est ratio formalis fidei, honestas item gubernandi se secundum dictamen hinc & nunc rectæ rationis, est & motivum & formale prudentiæ; sicque de reliquis, idemq; contingit, ut videre erit, in iustitia.

DICENDUM est. *Formale iustitiæ esse honestatem æqualitatis ad jus alterius.* Dico potius esse honestatem æqualitatis, quam æqualitatem: quia iustitia etiam quoad suam rationem specificam, est virtus voluntatis; habetq; specificativum virtutis voluntatis, utpotè ejus species. Si habet rationem specificam virtutis voluntatis, habet rationem versantis circa objectum voluntatis: cum ergo non versetur circa utile, quia non versatur circa proprium, hinc, appellatur ab Aristotele, *bonum alienum*. Item cum non versetur circa jucundum, quia etiam hoc spectat ad virtutes moderatrices ut plurimum passionum, debet versari circa honestum: si debet versari circa honestum, debet hæc ratio ex-

primi, quia sicut species externa, prodit pulchritudinem, ita formale, prodere debet pulchritudinem virtutum, quæ stat in prosecutione honesti. Cumque æqualitas etiam in rebus suo modo reperitur, idque immediatè, nullo enim mediante centum est æquale ad centum, non reperitur autè nisi in operationibus honestas, debet fieri in objecto iustitiæ formali mentio honestatis, ut ita magis proprium & circumscriptum ponatur formale iustitiæ. Debet autem esse honestas æqualitatis, non qualiscunq; quia illa qualiscunq; non sufficit ad virtutem iustitiæ: esse enim æqualem maximis, famâ, doctrinâ, elegantia corporis, divitiis &c. dicit honestatem æqualitatis, nec tamen quidquam iustitiale importat. Ideo additur, quòd formale iustitiæ non sit honestas æqualitatis quocunq; modo, sed honestas æqualitatis ad jus alterius.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 5. Ethicorum cap. 3. & sancti Thomæ. q. 58. art. 10. & II. Ubi adducit Auctoritatem Sancti Ambrosii. Lib. 1. de Officiis: *Iustitia est, quæ unicuique, quod suum est tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat.* Ubi, ut vides, numeratis actibus iustitiæ, tamen illarum centrum adeoque formale exprimit, æqualitatis custodiam.

PROBATUR 2. Argumento communi. Illud est objectum formale iustitiæ, quod maximè intendit in suis actibus iustitia, quodque illam sufficienter distinguit à reliquis omnibus; quæ Propositio probatur inductione in reliquis quibuscunq; habitibus: resolviturq; in hoc imprimis. Quia, quod maximè appetitur & intenditur ab habitu, illud est maximum bonum illius: sicut enim appetitus index est boni, quod appetitur; ita maximus appetitus, index est maximi boni. Jam autem in habitibus, maximum bonum, est objectum formale; sicut in composito maximum bonum, est forma, unde & sola appellatur ab Aristotele, Quod Quid. Resolvitur etiam in hoc. Quia in habitibus practicis, finis ultimus intrinsecus, & objectum formale, sunt idem, si sunt idem: Ergo cum id, quod maximè intendit in suis actibus iustitia sit finis ultimus intrinsecus iustitiæ, maximè enim finis ultimus intenditur, idem etiam, quod maximè appetit, & intendit suis actibus iustitia, erit objectum formale ejusdem. Quod autem illud maximè intentum debeat etiam esse sufficienter distinctivum, ex proportionem ad formam Physicam deducitur, quæ universaliter res distinguere, id tamen non facit universaliter. Sed iustitia in suis actibus maximè attendit ad æqualitatem ad jus alterius. Quod probat inductio, universaliter hanc Propositionem fundans; Nullus actus est iustitiæ, qui æqualitatem ad jus alterius non importet. Ergo appa-